

plurimumque liberos fratresque Senatus pietas liberalitasque extitit. 1495

At vero interea rex septimo post prælium die Astam ingressus fugæ fine m fecit, confecto cum timore ac labore viæ, tum commeatus non omnino magna inopia exercitu. Nam ut sunt ad conferendas manus, præliaque committenda Galli omnium prope hominum paratissimi atque fortissimi, ita ad perferendos paulo diutius labores, inedi- amque tolerandam, supra cæteros animus eorum mollis infirmusque est, omnisque illa ardens ac vehemens brevi tempore virtus elanguescit atque restinguitur. Paucis post diebus editio magistratum Gallorum, Veneti, Mediolanenses, Liguresque omni e Gallia, quæ in imperio Ca- roli erat, exules facti sunt, pœna iis qui recepissent, con- stituta. Itaque Petrus Pascalicus Venetus, qui Lutetiaz Parisiorum philosophiæ studiis sacrisque literis operam da- bat, servili veste sœle occultans in Morinos aufugit. De- inceps autem cum Ludovicus legatique Novariam omnes copias adduxissent, hostesque crebris ex oppido excursio- nibus eos laceſſerent, secundiora cum iis fere semper Ve- neti prælia fecerunt: quibus in omnibus Bernardi Conta- reni virtus egregia extitit. Postea vero quam communis consilio oppidum obsidione cingi placuit, & Aloisius re- gis propinquus, quiq[ue] cum eo erant in oppido equites milites ve numero ad millia octo, inopia frumenti labo- rare commeatusque cœperunt, quod ante hostium adven- tum ejus rei nullam curam habuerant, missi ad eos fur- tim cum jumentis frumentariis equites regii ab eodem Contareno ſæpe intercepti, ſæpe una cum illis ii qui ex oppido regiis equitibus ſubſidio venerant, cæſi fugati que ſunt. Neque rex interim novas copias, ut Aloisium ob- fidione liberaret, e Gallia quotidie poſtulare, accersere scriptis ad ſuos magistratus atque ad uxorem literis inter- mittebat: quas ad literas illa, ſe jam viros, qui velint Alpes trajicere, omnino nullos habere, regi respondit: fœminas viduas ſe permultas habere, quarum viri in Ita- lia periiffent. Ab Helvetiis etiam per legatos atque in-